CAJETANI TACCONI

Philoſophiæ Medicinæ & Anatomes
Doctoris


ATQUE IN PATRIA BONONIENSI UNIVERSITATE

LECTORIS PUBLICI

NEC NON

In Archinoſocomio Sanctæ Mariæ de Morte
Chirugiæ Profeſſoris

De raris quibuſdam Hepatis aliorumque
Viſcerum affectibus Obſervationes



BONONIÆ MDCCXL.

Typis Ferdinandi Piſarri, ſub ſigno S. Antonii. *Sup. Facultate.*

SPECTATISSIMIS VIRIS
Archinosocomii Sanctæ Mariæ de Morte Moderatoribus

C. T. S. P.



Uæ de raris quibusdam Hepatis aliorumque Viscerum affectibus jampridem animadversa collegeram, atque in Commentariola mea conjeceram, ut ea quidem Vestro inscripta nomini in lucem ederem, MODERATORES OPTIMI, fecit magnitudo humanitatis erga me vestræ, quæ non obscuris indiciis, sed claris significationibus declaravit elucubrationi huic meæ, si vestro in nomine eamdem emitterem, præsidium favoris vestri non defuturum. Vos enim pro incredibili erga literatos homines, qui in hoc percelebri Archinosocomio Medicinæ dant operam, voluntate ac benevolentia vestra sic eorum au-

getis animos, ſtudia incenditis, conatus & facta excipitis, ut ea nequaquam abdita remanere, ſed in apertum produci ſi & ægrotantibus commodo & medentibus uſui futura ſint, non ſolum hortando Vos velle, ſed etiam monendo quaſi præcipere videamini. Hac igitur præclara ſignificatione voluntatis veſtræ excitatus conſtitui Munuſculum hujuſce meæ elucubrationis Vobis offerre, quod eſſet argumentum perennis obſervantiæ erga Vos meæ, ardoriſque ingenui, quo me inflammatum ſentio de artibus noſtris benemerendi, teſtimonium.



Quod



Uod ſæpe alias circa morborum minime vulgarium curationes occupati facere conſuevimus, ut pro munere officii, quod in tractanda adminiſtrandaque chirurgica facultate profitemur, cuncta rarioris aſpectus argumenta in ipſo noſtrarum actionum curſu nobis occurrentia ſtudioſe colligeremus, noſtraſque ſuper iis animadverſiones candide promeremus; idipſum nunc quidem inſigni valdeque raro & admirabili in fœmina noviſſime a nobis curato hepatis abſceſſu maxime admoniti pari ſtudio & candore agendum ſuſcipimus. Qua in re cum in phænomena quædam inciderimus variis non inutilium quæſtionum generibus locum concedentia, ut illa quidem ea prorſus imagine ac methodo, qua noſtris ſe ſe obtulerunt oculis exponamus, præmiſſa ejuſmodi abſceſſus deſcriptione diſtinctis primum capitibus complectemur, tum adhibitis obſervationum rationumque momentis de ſingulorum natura, et proprietatibus quid ipſi ſentiamus breviter aperiemus.

Mulier ſeptimum & viceſimum agens ætatis annum, ſubgracilis habitus, ſicciorisque temperamenti, annis ab hinc jam ſeptem de ſtomachi & præcordiorum dolore conqueri cæpit. Dolorem comitabantur refrigerationes exteriorum partium, anxietates, inquietudines, vomitus materiæ bilioſæ, a quo interdum recreabatur, interdum nihil levaminis ſentiebat. Singulis duobus, tribuſve menſibus, quandoque citius recurrebat dolor; eoque præſente ſtomachus intumeſcebat. Accedebant tremuli nervoum motus cum anorexia, ſæpiuſque crudum cum dolore ructabat. Interea viro nupta fuit. Ex filiolis quinque, quos peperit, unum abortione perdidit. Ex variis temporum intervallis recruduit morbus, ac de hyſterico affectu judicabatur a medicis. Alvus erat adſtricta, morboque ingruente de mucronatæ cartilaginis dolore querebatur ægra. Quæ in bononienſe archinoſocomium Sanctæ Mariæ de Morte, cui nos a medicis, chirurgiciſque muneribus & officiis præfecti ſumus, octavo idus quintiles pretæriti anni 1739. translata curationi noſtræ concredita fuit. Exacto jam puerperio quotidie quaſi defixus in epigaſtrica regione aderat dolor; ibique propius ad hepatis ſedem conſpicuus fieri cæpit tumor paulatim cum calore increſcens, qui ſpatio duorum menſium vehemen-

tius auctus dolebat ad tactum, repellique manibus præ duritie haud facile poterat. Febris initium capiebat a frigore, quod excipiebat calor per horas ferme viginti vage recurrens, neque umquam ex toto in apyrexiam desinens. Cum de saniosa materia in tumore conclusa & abscessum faciente indicia non obscura haberentur, scalpello quatuor fere digitos transversos supra umbilicum a dextris lineæ albæ altius adacto tumor apertus est, statimque conspecta sanies quatuor fere unciarum pondere inde erumpens cum septem calculis. Specillo primum, mox digito auriculari intra vulnus altius immisso, abscessum valde amplum & profundum agnovimus, ejusque labia dura & inæqualia; exteriorem vero ambitum mensuram quatuor fere digitorum explere. Altera die parem saniei copiam eduximus cum tribus calculis: tertia uberiorem, roseique, sive lateritii coloris æmulam, calculisque quatuor supra viginti refertam diversæ magnitudinis & figuræ: quos inter unum cæteris longe præstantem, majorisque myristicæ nucis persimilem offendimus, quem forcipe extraximus. Quarta die undecim calculos, quinta duodecim, saniei vero quantum prius abscessus reddidit. Calculus, quem majorem nucem myristicam imitari diximus, si excipiatur, alii triangularem figuram, alii pentagonam mentiebantur, varioque colore ex albido, subviridi, croceoque hic illic tincti erant. Aliqui duo, nonnulli quatuor, quidam octo, novem, quatuordecim pendebant grana. Fasciis & linamentis, quibus obducebatur vulnus, die quartadecima avulsis, colorem subluteum ac viridem inhæsisse vidimus, quem a bile profectum & quidem cystica, ex eo deduximus, quod bilem, quæ tunc inde scatere cæpit, summe amaram gustu deprehendimus. Die decima quinta eadem observabantur: acerbus tamen sensus & dolor, qui manu regioni stomachi & hepatis ad explorandum admota initio morbi plurimum augebatur, remisit. Ex quo autem bilis prodire cæpit, splenia & vincula foramini abscessus apposita, tum horis vigintiquatuor exactis soluta, quasi tinctura viridis æris suffusa deinceps virescere visa sunt. Ac de bile quidem fluente certam nobis fidem faciebat color & gustus, quam data opera colligentes, ac ponderantes quatuor interdum uncias pendere comperimus. Interim ea decedente exulavit febris. Jamque ad quadragesimam quartam diem morbus processerat, cum

alius

alius una cum bile emersit calculus ponderis granorum sex. Alvus, quæ erat adstricta, lenientibus solvebatur. In progressu ad sexagesimam usque diem bilis tantummodo circa auroram & vesperam non paulatim fluendo, sed confestim quasi saliendo elabebatur. Quinquagesima vero die stomachi dolor mane recruduit: vespere autem tria vel quatuor membranarum frustula tenuvia & lata, subcroceo colore infecta deposuit alvus cum fæcibus. Quibus exturbatis effusio bilis statim decrevit, ventris dejectiones, cæteræque vitæ functiones in naturalem statum reversæ sunt. Parva tamen remansit fistula, per quam scrupulus fere unus dilutioris & subamaræ bilis tempore unius diei emittebatur. Denique dies jam quatuor & septuaginta ab aperto tumore, octuaginta vero novem a morbi initio effluxerant, cum domum suam rediit mulier, ubi octidui spatio fistula penitus occlusa plene convaluit.

Jam vero ut ea, quæ super allata morbi historia animadversiones nostras præceteris postulare non immerito visa sunt ordine proponamus, primum argumenta tumoris & abscessus sedem in hepate evincentia proferemus. Hæc autem cum ex dolore in epigastrio juxta hepatis regionem mulierem affligente, qui & ad tactum exacerbabatur & subjectum non exiguæ magnitudinis tumorem manui offerebat & alvi stipticitate ac febre stipabatur, initio satis proderentur, ubi tamen sectione adhibita tumor apertus fuit, indeque effusa sanie tumoris & abscessus sinum specillo & auriculari digito explorare licuit, præclare innotuit tumoris locus, altius nimirum in substantia hepatis e directo & proxime ad vesicam fellis primum excitati, tum ab congesta intus materia sensim in magnum abscessum ita diducti ut ad peritonæum ipsum contingendum, urgendumque pervenerit in indicata lineæ albæ parte, ubi scilicet scalpellus intus adactus saniei exitum patefecit. Ex bile vero, utpote quæ gustui amara deinceps per vulnus diutius effluxit; itemque ex calculis ingenti numero illhac emissis, communesque cum cysticis notas sortientibus (ut ex infra dicendis constabit) indicia adhuc clariora mox dictam in hepate tumoris sedem, ejusque cum vesicula fellis conjunctionem & commercium ostendentia reluxerunt.

Materiæ vero ichorosæ & putrescentis copiæ tribuendam esse

exi-

existimavimus molem valde amplam & profundam tumoris hujus ab ima & concava hepatis sede per gibbam ejusdem partem usque ad peritonæum protensi, atque intra membranosum folliculum verosimiliter conclusi. Nam id quidem tumoribus intra glandulosa cum hominum, tum animalium viscera genitis non infrequenter accidere compertum est, ut pravam scilicet eorum materiam membrana undique tumorem investiens, primis saltem temporibus, coerceat, absque ulla, vel certe cum insensibili œconomiæ animalis jactura, dum reliqua nimirum visceris moles integra & incolumis remanet. Ejusce porro membranosi folliculi testimonium tulisse videntur membranarum frustula per sedem ejecta, quamquam non eo numero ut simul unita & dimensa universum abscessus ambitum circumplecti possent. Quod ex eo fortasse contigit, quod pars earum valde attrita, vel in pus conversa inconspicua per ulcus cum pure exierit, pars vero per alvum confusa cum fæcibus.

Cœterum ne illud quidem a ratione alienum est, nempe membranarum id genus, quæ per alvum ejectæ sunt, particulas aliquas a vesicæ felleæ tunicis avulsas prodiisse, eo præsertim tempore, quo recluso cystico ductu ita egredi visæ sunt, ut eas nec ab intestinis, nec ab utero, nec ab urinaria vesica, nec a vicinis partibus, nulla quippe morborum nota affectis, nec demum a cibis, aut medicamentis progredi potuisse cognoverimus. Neque enim dubitandi locus nobis relictus est, quin prope id tempus, quo scalpello tumorem jam dictum incidimus, disrupta fellis vesicula vulnus & ulcus contraxerit ea in parte, qua hepati uniebatur, sicque per illius vulnus & calculis & bili transitus exitusque per sinum tumoris & ulcus apertus sit. Saniosæ autem abscessus materiæ vesiculam fellis imperviam fuisse, videlicet respectu cystici ductus a calculis fortasse obstructi, ejusque partis, quæ hepati opponitur, ex eo satis didicimus, quod nulla umquam in fæcibus saniei vestigia deteximus; quodque erosa & vulnerata circa fundum, vel inferiorem partem vesicula difficillime ab interitu arceri ægra potuisset.

Calculi igitur incredibili numero & varietate per abscessum primo cum sanie mixtim emissi, mox in dies cum bile diutius exclusi, deinde bilis ipsa colore, consistentia, sapore cysticam bilem redolens copiosius effusa, postremo exploratio per specillum

& au-


& auricularem digitum intra ſinum abſceſſus, educto jam pure, altius intruſum non ſemel facta, apertum quod diximus vulnus & ulcus in ſuperiore veſiculæ felleæ parte nobis fere ob oculos poſuiſſe videntur.

Ut ergo præſcriptum noſtris animadverſionibus ordinem proſequamur, nonullas obſervationes ſuper indicatis calculis, biliſque effluxu a nobis factas ſubjiciemus, ab iis quidem, quæ ad calculos referuntur, exorſi.

Calculos, quos primum cum ichoroſa materia, deinde cum bile e vulnere inflicto prodiiſſe narravimus, quamvis ex allatis ante rationibus e cyſti fellea profectos, vereque cyſticos eſſe moneremur, placuit tamen alia venari & perſequi argumenta genuinas eorum cum cyſticis notas uberius oſtendentia. Primo nonnullos eorum flammæ admovimus, vidimus autem eamdem nonnihil alere, atque inter ardendum crepitare. Secundo ex lamellis, ſive ſtratis quibuſdam ſibi mutuo ſuperpoſitis eoſdem coagmentatos fuiſſe; primam vero lamellam ex albo flavam, ſecundam viridem apparere. Tertio fere omnes in aquam projectos fundum petere. Quarto eoſdem diffractos nucleum laxioris compaginis nullius determinatæ figuræ, coloris vero ſaturatioris oſtendere, ſicque ſigna communia cum aliis calculis a Morgagno in ſuis adverſariis tertiis elegantiſſime deſcriptis, atque a nobis aliiſque in quamplurimis veſiculis felleis hominum repertis exhibere comperimus.

Noſtram quoque ſententiam confirmare viſi ſunt illi calculi, quos in pori bilarii propaginibus interdum offendimus, cum & flammæ admoti citius inflammarentur & pondus reſpective gravius exhiberent. Quod cum ab exuberantia particularum bilis ſaturatioris, aquoſis deficientibus, pendere arbitraremur, compage proinde illa laxiore eos caruiſſe cogitabamus, quam adipiſci conſueverunt, qui diutius intra cyſtim felleam commorantur.

Dum in ſcrutanda hujuſmodi calculorum natura verſabamur, quanta ſit eorum pernicies, quamque diris cruciatibus hominum vitam exerceant animo revoluentes, ſtudio aſſequendæ artis trahebamur, cujus beneficio effici poſſet, ut ii vel nuſquam concreſcerent, vel fracti & diſſoluti ab humanis viſceribus tandem pellerentur. Quo in ſtudio licet revera nihil profeciſſe



hactenus fateamur, tamen pro benefaciendi voluntate quid ultro egerimus candide aperiemus. Sed cum ea, quæ in hanc rem cæpimus experimenta neque unius generis sint, neque temporis, hic paucis ea complectemur, quæ ad hunc locum pertinent, reliqua in sequentibus prosequemur. Calculos itaque aliquot ex jam dictis accepimus, quorum unum spiritui vini dephlegmato impositum descendere observavimus ad fundum vasis, ibique invariato vini spiritu consistere quindecim dierum tempore sine ulla molis, figuræ, ponderis mutatione. Pari ratione insolutum ac impermutatum repperimus alterum, quem intra spiritum aceti aliquandiu detinuimus. Tertius vero, quem spiritui nitri infudimus, intra ipsum natando perspicuam liquoris substantiam in confusam & turbidam vertit, colorem subcroceum acquisivit, & tenerrimus evasit. Subcroceo pariter colore digitos inficere, adhibita prius levi frictione, visi sunt varii id genus calculi intra muriam tepidam saponis veneti aliquandiu detenti non sine eorum ponderis incremento. Intra alios præterea liquores injectis calculis alia tentavimus experimenta, de quibus, ut paulo ante monuimus, erit infra dicendi locus.

Jam de bile per vulnus jam dictum emissa ut sermonem ineamus, opportunum duximus periclitari quantum bilis una die ab eodem efflueret. In quem finem splenia, repagula, fascias, quæ vulneris orificio apponi debebant, lance ponderabamus, transactis deinde horis 24., explorato iterum pondere, inveniebamus priore detracto bilem, quam linamenta attraxerant, & vulnus emiserat, unciarum trium & drachmarum sex ponderi respondere. Deinceps vero sequenti artificio usi sumus. Plumbeum vas infundibuliformis figuræ rostro instructum, idest tubulo recurvo, altera sui extremitate in supremam ejusdem vasis oram infixo & hiante; altera in frustulum vesicæ bubulæ marsupii instar eidem alligatum appensumque inserto, ita apponebamus ad os vulneris, ut bilis intra ipsum paulatim fluentis quatuor fere uncias spatio horarum vigintiquatuor colligeremus.

Porro hujus bilis, quam ex amaro illius sapore, aliisque supra memoratis notis cysticam esse deduximus, binas uncias & semis chymicæ analysi per ignem subjecimus. Calore interim per gradus aucto multum phlegmatis, parum olei nigri, nihil salis volatilis, saltem sensibus patens retulimus. Absoluta destillatione,

ne, refrigeratis vasis, fractaque retorta, nigram fuliginem omnis saporis expertem, ipsius parietibus circumjectam invenimus & materiam pariter nigram in retortæ fundo particulis splendentibus & salinis refertam. Huic fuligini unciam unam & semis ejusdem bilis (consulto a nobis servatæ) reaffudimus, factâque totius humidi evaporatione, nigras item particulas fundo vasis inhærentes adspeximus: portioni hujus materiæ adjunximus sales alkalicos, nullus tamen odoris halitus olfactum feriit, nec ulla coloris mutatio contigit. A sale ammoniaco superaffuso odor urinosus, hujus spiritus more, emissus est. Spiritus etiam acidos alteri parti dictæ materiæ affudimus & magnam excitari vidimus effervescentiam, colore eodem perseverante. Pars altera ejusdem materiæ calcinationi exposita, more salis tartari fusa est & in colorem albidum versa. Lixiviatione autem facta cum aqua calida in albidum colorem mutata est, & alba terra fundum vasis petiit. Dicta solutione per chartam emporeticam filtrata, terra quædam alba remansit parvis quibusdam arenulis subnigris, durisque conspersa. Coagulata denique eadem solutione radiorum solarium ope, oculis apparuit sal albus fixus figuræ inæqualis, qui supra carbones accensos positus, liquatus fuit sine ulla crepitatione, parte aliqua fixa & nigra superstite.

Priusquam vero phænomena reliqua super indicato bilis effluxu a nobis deprehensa proferamus, consultum duximus quasdam attexere morborum historias, cadaverumque sectiones, quæ sicuti ingentem nobis fecerunt ejusmodi calculorum copiam, quos ad examinandum assumpsimus, ita etiam signa præsentiam eorum in cysti fellea ostendentia, fortasse nondum satis pro merito animadversa, præbuerunt.

Mense octobris anni 1725. helveticæ cujusdam mulieris dissectum cadaver inspeximus. Jecur durissimum & naturali magnitudine longe amplius materiam quamdam fætidissimam undique fere per totum dispersam continebat intra peculiares veluti capsulas conclusam. Ductus bilarii prope omnes una cum choledoco calculis referti erant, quorum duo supra quinquaginta numeravimus, superficiei durioris & lævis, differentis magnitudinis, figuræ in plerisque octaedricæ, in quibusdam vero, præsertim majoribus, cuboideæ. Bile quasi heterogenea nempe diluta, subdulci, mucosa replebatur cystis fellea, quæ grandio-

rem pyrum æquabat, cuius intermediam tunicam occupabant glandulæ phaseoliformes, primum quidem a Malpighio nostro, deinde ab aliis, speciatim vero a Gusmano Galeazzeo cum calculis eas replentibus, in actis bononiensis scientiarum academiæ descriptæ. Mulier hæc quinquagesimum quintum agens suæ ætatis annum, temperamenti melancholici, habitus corporis gracilis, nonnullis febribus lentis, atque contumacissimis detenta paulatim icteritiæ morbo correpta fuit. In hepatis regione indicatus tumor persentiebatur ad tactum durus, at sub mucronata cartilagine, perinde ac si in ipsa sedem fixisset morbus, angi se præcipuo quodam dolore mulier asserebat. Parum, vel nihil comedebat: immanissimi vomitus a cibo aderant: spatio quatuor, vel quinque mensium, ictero permanente, ex inedia tandem mortua est.

Mense item januario anni 1726 cadaver aliud bononiensis mulieris annorum septem & quinquaginta secuimus. Illico corpus quoddam durum, lapideum, nigri coloris, superficie granulosa, magnitudine parvam avellanam nucem, sive magnum morum referens invenimus, quod ita vesiculæ felleæ ostium, sive eiusdem colli principium occludebat, ut fortasse ne guttula quidem bilis per ipsum ad communem ductum nempe choledocum facile transferri potuisset. Huius mulieris hepar substantiam durissimam nactum, tuberculis circumquaque refertum, naturalem magnitudinem valde excedebat. Ad lienem etenim protendebatur, totam ventriculi molem operiebat & ultra umbilicum exporrigebatur. In cysti autem fellea (cuius interna membrana albida, rugosa, crassa, maleque affecta erat) bilis vices gerebat materia quædam fluxilis, subalbida, sero, sive dilutiori latici similis.

Cum tunica valde aspera & simplici induta hæc mulier, vigente hyeme, nudis pedibus & tibiis incederet, a quartana febre continua prehensa fuit, cui immanissimi dolores in hypogastrica regione adiungebantur. Quinta recurrentis febris accessione, obliteratis fere arteriarum pulsibus, extincta est.

Quod vero a multo jam tempore clarissimi viri Fernellius, Riolanus & postea etiam Morgagnus observavit, nimirum calculos una cum fæcibus per sedem ejectos fuisse, id & nos ipsi observavimus anno 1724. in nobili muliere, cui medicinam face-

re

re jubebamur, quæ cum de mucronatæ cartilaginis, nec non hypochondrii dextri tenſione, doloreque hepatis (quod tumore duro affectum ex tactu judicabamus) quereretur, ſuſcitatis doloribus ſtatim icterica evadebat. Verum elapſis quatuor, vel quinque diebus, nonnullorum forſan remediorum auxilio, liberabatur. Quod etiam aliis temporibus ſuccedebat, dum per alvum exturbari cernebantur calculi variæ magnitudinis & figuræ, eiuſdemque ferme conditionis ac ii, quos in ſua retulit ſcripta Morgagnus, quorumque item mentionem facit David Chriſtianus Valterus in actis eruditorum germaniæ (a) & Fridericus Hoffmannus (b) ubi de mercatore quodam icteritia, aſthmate convulſivo, et hydrope laborante, ait, quod *poſt ſumptum corticis ſambuci medii infuſum, non modo aliquoties vomuit, ſed etiam per alvum aliquoties exoneratam, ultra tredecim calculos, qui erant triangulares & partim quatuor partim duodecim grana pendebant, reddidit, unde quidem malorum ſuorum per aliquod tempus levamen percepit.*

Prædictis affinem addimus hiſtoriam alterius mulieris annorum 63. temperamenti ſanguineo bilioſi, habitus corporis ad obæſum accedentis, viginti annorum curſu nephriticis doloribus per intervalla temporum obnoxiæ. Dum infantulos in lucem emittebat, ita magnis cruciatibus, doloribuſque vexabatur, ut pene mori videretur. Decennium per mariti mortem vidua in curis familiaribus obeundis multum occupata a variis febribus, doloribus infimi ventris ſpaſmodicis, laſſitudinibus membrorum & artuum male habuit. Poſt ſex menſium labores in ſerico opere parando conficiendoque exanthlatos, poſt graves animi affectus, iterum febres cum anorexia, doloribuſque tum in hypogaſtrica regione & præſertim circa ultimas lumborum vertebras, tum in hepatis ſede experta eſt. Permoleſtum dolorem patiebatur in mucronata cartilagine. Dejiciendi difficultate tenebatur, nec ſine magnis cruciatibus conatibuſque excrementa deponebat, fortaſse ob tumorem ſatis durum ſub pubis regione tactui occurrentem. Ajebat enim ſe in fæcibus emittendis inſignem quempiam globulum percipere, non aliter fere ac ſi infantem eſset paritu-

(a) *Pag.* 127. *obſervatione* 92. (b) *Lib. Conſult. Sect.* 3. *Caſu* 57. *de ictero diuturno.*

ritura. In hepatis regione tumor item durus, magnus, atque inæqualis non ſolum manibus diſcernebatur, ſed etiam oculis apparebat, a quo multum dolebat. Icterus niger ſupervenit. Urinæ reddebantur virides, nigræ, cum ſedimento albido puris formam præſeferente. Linguæ cuticula hic, illic veluti abraſa conſpiciebatur: irriti vomendi conatus aderant: aliqua abdominis intumeſcentia: alvus adſtricta erat. Acceſſit vomitus materiæ nigræ, viridis, viſcidiuſculæ, febris adaucta eſt, doloreſque intenſiores redditi. Corporis membra abſumpſit macies. Anno tandem 1735. menſe martio e vita migravit.

Secto cadavere in infimo ventre materia ſeroſa, flava & ad rubrum accedens ponderis trium circiter librarum reperta fuit. Centrum inteſtini recti obſederat tumor durus ſcirrhoſus partem dextram magis reſpiciens magnitudine quatuor uncias, profunditate unam & dimidiam æquans. Hic tumor inteſtinum rectum parte ſui anteriore amplectebatur, atque ita extra propriam ſedem urgebat, ut dextrorſum illud flecteret, ſummeque coarctaret.

In concava hepatis parte tumor pariter ſcirrhoſus cernebatur ejuſdem magnitudinis pari fere ratione obtegens & amplectens veſiculam fellis. Uterque a peritonæo originem ſuam ducere videbatur. Sed qui in jecore radices ageret tumor, inteſtinum duodenum prope ipſum jecur ſumme adduxerat & ductum choledocum, cyſticum & hepaticum valde compreſſerat, ut breviores longitudine naturali conſpicerentur. Hepar ſatis amplum hic, illic tam in ſuperficie externa, quam in internis partibus tumoribus non admodum duris ſcatebat. Propagines omnes pori bilarii humore nigro, viſcidoque turgidæ, ac repletæ cruſta quadam nigra obducebantur, quæ dum digitis trahebatur, cuticulam, figuram internam vaſorum exprimentem, oſtendebat.

Dum deſcriptus tumor cultro examinabatur e veſicula fellis ſiniſtro in latere vulnerata, centum quadraginta quinque calculi colore, figura & magnitudine fere æquales educti ſunt. Veſicula fellis naturali amplitudine duplo fere major, ea in parte, qua hepar reſpiciebat, ſtigmata quædam ferebat intrinſecus figuram baſium, ſive facierum calculorum, qui eidem adhæſerant, repræſentantia. Calculi omnes figuram thetraedricam ſervabant,

vabant, ad albidum, ſive dilute croceum colorem accedentem & veſiculam fellis totam replebant.

Cum perquirendæ horum calculorum naturæ, ſubſidio nonnullorum agentium, operam poſuerimus, locus proinde admonet ea in medium afferre, quæ de illorum habitudine & affectionibus obſervavimus, quæque ut pars altera earum, quas ſupra retulimus, obſervationum ad hunc locum ſpectare videbantur. Calculos igitur ex præfatæ mulieris veſicula fellis exemptos granorum circiter ſenum pondus ſingulos habere comperimus, atque ex ſquammulis compoſitos tenuibus, albicantibus, lucidis, argenteam matriſperlarum interiorem faciem ſimulantibus, quemadmodum ex nonnullis eorum diffractis agnovimus. At circa meditullium croceo colore tinctos, parviſque globulis ſplendentibuſque & ſubrotundis præditos, quos, dum in pulverem, digitis redigebamus, friabiles, viſcidos, reſinoſos, ingratumque odorem ſpirantes deprehendebamus.

Intra vitrioli ſpiritum horas quatuor & viginti detenti nullius effervеſcentiæ, nulliuſque mutationis indicia præbuerunt. A ſpiritu item ſulphuris, nitri, ab aqua regia, a ſpiritu therebentinæ, ſalis armoniaci, ſalis communis, a rore majali deſtillato, a ſolutione mercurii, a ſpiritu vini adhibitis & affuſis nihil mutati ſunt: ſi modo nonnullam ſaporis in amarum & ingratum converſionem excipias. Nullam pariter mutationem paſſi ab aquis ſive fuerint naturales & ſimplices, uti puteales & pluviæ, ſive ex vegetabilibus deſtillatæ, ſive adjectione tartari ſolubilis, ſalis anglici, aliuſque cathartici ſalis in eis ſoluti præparatæ. Niſi quod ad ima devoluti, ubi in calidis & ebullientibus aquis parvo etiam tempore permanſiſſent, emolliebantur, ut vel levi digitorum compreſſione in pulverem reſolverentur. Ubi vero candelæ ardentis flammulæ admoti ignem conciperent, ſcintillas jaciebant ignitas, albidas & ſalium more crepitabant, ſolvebanturque inſtar ceræ. Supra prunas candentes conjecti pariter liqueſcebant ingratum bituminis odorem redolentes, ſed tandem combuſti abſumebantur, nullum terræ veſtigium relinquentes, quod in variis bituminum ſpeciebus relinqui ſolet. Igni objecti ſupra laminam ferream diffluebant, deinde cogebantur a frigore. Liquati vero ad ignem, addita una vel altera olei olivarum gutta, unguenti mollioris & ductilis formam induebant.

Deſtil-

Deſtillatio duodecim horum calculorum, quorum pondus erat unius drachmæ cum dimidio per retortam inſtituta fuit & igne juxta artis chimicæ methodum adaucto, in principio guttulæ phlegmatis numero paucæ apparuerunt, deinde oleum ſatis limpidum, ſed ſubobſcurum, odoris ingrati ea ferme ratione, qua in oleo ceræ deſtillationi expoſitæ obſervari ſolet. Hoc oleum poſt aliquod breve tempus nigrum evaſit & una cum phlegmate ad pondus quatuor ſcrupulorum aſcendit. Vaſis frigefactis caput mortuum e retorta extractum eſt, quod erat nigrum, lucens, & tali rareſcentia & levitate donatum, ut leviſſimo etiam flante aere ſtatim more phlegmatis ſanguinis humani poſt deſtillationem in auras diſpergeretur. Cum deſcripto capite mortuo ſpiritus acidi & corroſivi commixti nihil mutationis attulerunt: dum vero illud ſupra ignem conjiciebatur, fumum aliquem emittebat fortaſſe, quia præcedens ignis vi caruit ſeparandi quod remanſit ratione fuliginum deſcendentium tempore deſtillationis ſupra materiam deſtillatam, ut in omnibus ferme diſtillationibus ſuccedit.

Poſiti autem ſimul cum ſapone calculi in vaſe ferreo ad ignem non tam cito liquati ſunt & facta agitatione unio quædam, veluti grumulorum laxa & imperfecta emerſit, quæ oſtendebat corpora hæc duo haud quaquam amice conſociari. Materia hæc ſupra prunas accenſas injecta abjit in halitum & fumos, qui odorem urinoſum præſeferebant. Ex hiſce obſervationibus inferri poſſe videtur, calculos hoſce conſtare ex principiis ſulphureis, quibus cum unitur pars aliqua nitri fixi & modica phlegmatis portio.

Studio rei medicæ colendæ & illuſtrandæ naturam hujuſmodi calculorum paulo minutius perſecuti ſumus. Hanc enim licentiam nobis tribuit medica facultas, ut quodcunque conſideratione non indignum occurrat, id noſtro jure liceat contemplari, præſertim ubi illecebra lucrandæ ullius utilitatis nos movet.

Fructum vero utilitatis ſane non exiguum in ſignis præſentiam calculorum id genus in ictero præmonſtrantibus colligendis, adeoque in diagnoſi morbi regii dum a calculis producitur eliciendа, noſtrarum obſervationum ductu conſecutos eſſe nos remur. Nam cum ſæpe icterus a calculis biliferos ductus obſtruentibus enaſcatur, ambigua & obſcura remanent calculorum ſigna, quotieſcumque hi longius a puncto concurſus hepatici ductus

ctus cum cyſtico in alterutro eorum ſedem ſortiuntur, nec omnis deſcenſum bilis ad inteſtina præpediunt. At ubi propius ad prædictum concurſus locum compulſi choledocum ſive communem ductum ſubingrediuntur calculi, tunc omni præcluſo bili exitu contumaciſſima ſequitur aurigo, in qua & albidæ fæces & in primis dolor mucronatæ cartilaginis (notante diligentiſſimo Jacobo VVepffero) & ſpaſmodica tenſio dextri lateris & totius corporis laſſitudo veluti ſpontanea, producentis cauſæ, ſcilicet calculorum ſpecialiora exhibent ſigna, quæ tamen non eadem ſunt (docente Friderico Hoffmano) (a) *ſed diverſimode comparata prout, vel ingens calculus veſicam ipſam male afficit, vel plures per ductum choledocum tranſitum moliuntur.*

Quoniam inter ea ſigna præcipuum, ut diximns, locum ſibi vindicat dolor cartilaginis mucronatæ, opportunum exiſtimavimus rationem et viam, qua ille ad eam partem pertingit, anatomia docente, proponere & explanare.

Anatome enim conſtat jecur quamplurimis noſtri corporis partibus per varia ligamenta validiſſime alligari, ligamentum vero latum membranaceum, ſuſpenſorium dictum, e magna hepatis fiſſura exurgens, cartilagini enſiformi alterò ſui extremo, nempe ſuperiori (licet in aliquibus hominibus magis verſus partem dextram) appendi; hincque aliquando dextrorſum, ſæpius ſiniſtrorſum ad lineam albam, altero ſui extremo, nempe inferiori protenſum ab hepate, aliiſque ligamentis, ac ſpeciatim ab umbilicali ita expanſum contineri, ut oblongum, ac irregulare quaſi parallelogramum (peculiari etiam icone a Vanreverhoſt depictum) efformet. Qua vero parte hepati unitur verſus interiora ejus deſcendere & communi fere involucro ramos nonnullos venæ portæ, arteriæ hepaticæ, nervorum, ac ductuum bilarium circumveſtire.

Hujus ergo membranoſi & validi ligamenti ope dolorem illum ad ſternum excitari evincunt illius nexus, poſitus & ſtructura; quia cum arcte conjungatur cum biliferis tubulis & conſletur ex fibrillis diſtractilibus, elaſticis & ſenſus exquiſiti & ſuperiore ſui extremo cartilagini xyphoidi ac ſterno fortius quam alibi affigatur.

(a) *Sect. prima Cap. VII. ubi de cauſis Morborum & quidem latentibus, recte cognoſcendis.*

figatur, propterea ejusdem fibras, quum a calculis intra biliferos canales sitis & exitum molientibus acrius percelluntur, magnopere tendi, distrahi & concuti necesse est & ea quidem in parte vehementius, ubi vis distractionis validius exercetur: nimirum in regione prædictæ cartilaginis & sterni, cui utpote robustiori termino firmius quam diafragmati, peritonæo, lineæ albæ, cæterisque partibus termini laxioris rationem habentibus, ligamentum illud adhæreſcit.

Distractionis autem vis quo major fuerit, eo acerbiorem dolorem parit, qui pro varia calculorum magnitudine, figura, motu augeri & minui manifestum est. Idque apparet in calculis renum ureteres, vesicam urinariam, urethramque permeantibus, qui glabri, molles, parvi, calculosos mitius angunt, præduri, grandes, asperi, crudelius. Quod pariter de cysticis cum proportione dicendum est.

Qui vero propius ad finem choledochi ductus in duodenum intestinum hiantis infixi locantur calculi, ii si & acuminibus instructi & molis fuerint non exiguæ, vomitum movent, contractisque suspensorii & lati ligamenti fibris ensiformem cartilaginem nonnunquam introrsum trahunt. Quare immanes stomachi dolores inferunt, qui cum cardialgicis facile confunduntur. Quod ab Joanne Christoforo Hertio observatum legimus (a) scribente, hominem quemdam ex hydrope mortuum, tresque insignes calculos in cysti fellea gerentem, priusquam in hydropem incidisset, cardialgico dolore tam dire vexatum fuisse, ut morbi causam in ventriculo residere Medici non dubitaverint. Cardialgici vero doloris in his casibus fomes est *magna consensio ventriculi & annexi duodeni cum ipsis bilariis ductibus* ut apposite ait Hoffmanus (b) *eam maxime ob causam, partim quod ductus choledochus per duodeni membranas feratur, partim, quod dexter nervi intercostalis & paris octavi ramus, qui ventriculum adit, ramum quoque ad hepar ejusque biliferos canales mittat.* Ob magnam etiam duritiem in hepate exortam, aut in poro biliario, tumores scirrhosos nasci, contumacem icterum & ventris turbationes sequi, coctiones vitiari, totius æconomiæ animalis ordinem præverti, corpusque contabescere adnotavit Malpighius. Icte-

(a) *In actis Eruditorum Germaniæ p. 227. ob. 91.* (b) *T. 3. sect. prima Cap. V. de consen. Part. Nervos: &c.*

Icterum ut plurimum in Ascitem converti monuit Dodonæus, qui viscera ictericorum diligentissime contemplatus jecoris partes duras lapillis ubique refertas non semel invenit. Notum enim est deficiente bilis fluxu ad intestina motum illorum peristalticum sensim minui, Chylosis opus imperfectum manere, alvum adstringi, variisque morborum & ægritudinum speciebus viam sterni.

Sed ut unde orsa est, in eodem terminetur oratio nostra, ad memoratum initio hepatis abscesum reversi postremam nostrarum animadversionum partem circa efluxum & semitas bilis exponemus.

Cum supra dixerimus bilem ex sinu aperti abscesus perspectius & uberius quartadecima morbi die exire cæpisse, quibusnam e latebris illa erumperet quærentibus nobis, variæ opinionum species occurrebant, quas inter ea cæteris verosimilior apparebat, quæ bilem intra cystim felleam per canaliculos, quos hepaticysticos nominant, derivatam, inde ob laceratam superne cystis tunicam, ductumque cysticum præclusum, tamquam e promptuario quodam, per ulcus apertum ejectam transferri declarabat.

Et de soluta quidem vesiculæ felleæ unitate fidem faciebant calculi cysticorum notis & proprietatibus affecti, qui per abscessum diutius numerosa serie egredi visi sunt ex altiore ipsius cystis pænu deprompti.

Præclusum vero cysticum ductum satis superque testabatur subpallidus color alvinarum fæcum, alvusque adstricta & contumax, quæ nonnisi eiectis per sedem pelliculis illis, quarum in historia abscessus mentionem fecimus, ad liberum & naturale excernendarum fæcum officium reversa est. Indicio plane manifesto meatum cysticum ab iis pelliculis, quin etiam, ut credi par est, a calculis antea obsignatum tamdiu cysticæ bili impervium extitisse, quoad sublatis obstaculis eadem bilis ad intestina remeare posset, suâque illa amaritie & acrimonia, quam intra cystim manendo adipiscitur, ad peristalticum intestinorum motum ciendum aptissima, alvinam excretionem promovere. Cuius acredinis expers cum sit bilis fluens per hepaticum porum, utpote quæ subdulcis est, sitque etiam dilutioris substantiæ & coloris; propterea si absque alterius bilis consortio per choledochum ductum ad duodenum progrediatur, cum præ cystica inertior sit, segnius intestina vellicat, unde & difficilius ac tardius egeruntur fæces

& colore etiam ſubpallido, ſive dilutius flaveſcente tinguntur.

Ex tarda igitur difficilique ejectione fœcum decoloratarum in laborante muliere cohibitum retentumque colligebamus influxum amaræ bilis ad inteſtina, vitio quidem meatus cyſtici a calculis primum obturati, eo videlicet tempore, quo neruorum ſpaſmis & tremoribus per intervalla recurrentibus correpta mulier querebatur de dolore cartilaginis mucronatæ, patiebaturque vomitus bilioſos cum morſu ventriculi, anxietatibus præcordiorum, membrorumque perfrigerationibus conjunctos, quæ pro hyſterica affectione medicis impoſuerunt, cum eſſent ſymptomata a calculis intra meatum cyſticum locatis & exitum quærentibus producta. Quod vel ex eo præclare innotuit, quod calculis differentium illarum magnitudinum & figurarum, quas ſupra innuimus, tandem per ulceris oſtium extruſis, exturbatiſque deinde per alvum membranaceis id genus pelliculis, quas ad eumdem cyſticum ductum occupandum, ſive a dilacerata veſiculæ felleæ tunica, ſive ab attrito abſceſſus folliculo deciſas, procedente morbo, conveniſſe deprehendimus, præternaturalis excretio bilis ex abſceſſu decreſcere paulatim cæpit, abſceſſus ipſe in dies magis abſumi, ventriſque dejectio una cum cæteris vitæ functionibus in priſtinum & naturalem ſtatum reverti.

Cur autem ſuppreſſa naturali ſecretione bilis cyſticæ icterica non evaſerit mulier, ratio in eo ſita videtur; quod ſcilicet clauſo cyſtico ductu patere non deſiit porus hepaticus, per quem ab hepate derivatur bilis ad inteſtina, in quæ proinde fluendo cautum eſt ne ad habitum corporis eadem redundaret & morbi regii veſtigia in eadem imprimeret.

Præter hactenus dicta favere opinioni noſtræ videbamus comparationem utriuſque bilis inter ſe. Nam cum hepaticæ color dilutus ſit, ſubſtantia fluidior & ſapor non ingratus; contra vero cyſtica coloratior, denſior, guſtuque amara & acris ſit, paremque huic ſe oſtenderet bilis, quæ per aperti tumoris os fundebatur, idcirco ſentiebamus eamdem ex veſicæ felleæ penetralibus emiſſam per abſceſſum foras proſilire.

Illud iam remanet, ut de ſemitis bilis, clauſo oſculo ductus cyſtici, in cyſtim deductæ, quid ipſi ſenſerimus, proferamus.

Qui a glandulis tunicas veſiculæ felleæ interjectis, tamquam a fonte unico cyſticæ bilis deductionem repetunt, ii cito ſe ambagibus

gibus liberant, nihil de aliis eiusdem fontibus & emissariis quærendis solliciti. Verum ut silentio prætereamus glandulas illas aliis officiis & usibus longe diversis inservire posse, plane obscurum est num biliferæ sint id genus glandulæ, nec iis pretermisis non adsunt alia emissaria & diverticula bili ab hepate in cystim convehendæ accommodata.

Bilis enim secreta in glandulis jecoris perpetuo cursu per ramos pori hepatici fertur in ductum choledocum indeque pro necessariis œconomiæ animalis officiis ad intestina traducitur.

In vesiculam pariter elabitur bilis trajecta per quosdam peculiares surculos, qui ab ipso poro hepatico, priusquam in choledochum abeat, transversim ducti in vesiculam fellis aperiuntur perspectius quidem ad ejusdem collum, mistoque nomine, ab insertionum terminis desumpto, ductus hepati-cystici appellantur

Hos sane ductus, quos jampidem in brutis animalibus, præcipuè Bobus, quorumdam non vulgarium anatomicorum solertia detexerat, in ipso etiam homine reperiri probatæ fidei auctores nostrorum temporum, iidemque anatomicæ rei peritissimi, luculentissimis elucubrationibus & scriptis nobis testatum reliquerunt.

Ut aliquos memorem; Joannes Gothofredius Bergerus anno 1702. in libro inscripto de Natura humana (a) hæc habet. *Vel eadem* (loquitur de Bile) *prius colligitur in vesicula ex propriorum vasculorum apicibus & ductibus præsertim peculiaribus, qui vulgo cyst-hepatici, melius hepati-cystici dicuntur, quia ex vasculis Jecorariis, poroque hepatico oriundi vesiculæ committuntur, de quibus Glissonius* (b) *Bohnius* (c) *& Verheyen* (d) *legi merentur.* Fantonus in Anatomia Corporis humani Augustæ Taurinorum impressa anno 1711. (e) scribit quod *hi canaliculi duplicis sunt generis, alii enim propagines sunt ductus hepatici cuius ramificationes consociantur ramis venæ portæ; alii sunt tanquam radices vesiculæ felleæ in quam aperiuntur & bilem evomunt.* D. Garenseot (f) asserit

(a) *Cap. XIV de secretione materiæ Biliosæ in Hepate pag. nobis* 218, *&* 219 (b) *In Anat. hepat. C. XII.* (c) *L. c. Prog. XVII.* (d) *L. c. Tr. XI-c. XV.* (e) *Dissertatione VI. de Hepate, Liene, & Pancreate pag.* 110. (f) *In sua Splancnologia anno* 1728. *Parisiis edita.*

ſerit: quod *Ces vaiſseaux (hepato-cyſtiques) portent la bile du foye dans la veſſicule du fiel. Ils ſont tres manifeſtes dans le Boeuf, mais il eſt plus difficile de les trouver dans l'homme quoique lour exiſtence y ſoit toujoûrs conſtante. Il n' y a meme pas bien du temp qù on' les y demontre & Monſieur Verdier Chirurgien jurè, demonſtrateur Royal & treſ-celebre anatomiſte a etè le premier qui les ajt injectès a Paris & qui les ait fait voir en public.* Idipſum confirmat Solertiſſimus VVinslouvius (a) *Expoſition Anatomique de la ſtructure du Corps Humain*, dicens. *Le Corps de la Veſſicule du côtè qù il eſt nichè dans le foye, y eſt attachè par quantitè de filets, qui s' avancent beaucoup dans la ſubſtance du foye. Parmi ces filets on trouve des conduits, qui font une communication entre les pores biliaires & la Veſſicule. Il y a long temp qù ils n' ont paru que dans les animaux; mais a la fin, on les a auſſi decouverts rèellement dans l' homme on les decouvre plus vers le Col de la veſſicule qù ailleurs & ils ſont appellès conduits Cyſthepatiques, ou conduits Hepaticyſtiques.*

Me fateor non parum conſolatur & recreat Anatomicorum tanti nominis auctoritas & aſſertio in hac re; memoria videlicet repetentem ſtudia præteriti temporis, in quibus arbitror non adeo me reprehenſione dignum fuiſſe, quemadmodum nonnulli parum amico, ne dicam alieno in me animo alacrius contendere, & declamare non ſunt veriti, excuſſis illiberalium objurgationum telis adverſus eam diſsertationem, quam ſuper iis biliferis vaſculis ad laudatiſſimum Virum Joannem Baptiſtam Blancum in Regia Taurinenſi Univerſitate Anatomicum ſcriptam ſuperioribus annis evulgavi. In qua ſi forte inchoata, non perfecta operis effigies apparvit, at non defuit tamen conatus & adumbratio, quam perhumaniter accipi decebat, non contumelioſa animadverſione traduci. Omnis enim animadverſio & caſtigatio, ut inquit Cicero primo de offic., contumelia vacare debet. Sed ne alicui videar ſcintillas cuiuſpiam veteris acerbitatis in animo retinere, malo eorum, quæ pertuli libenter oblivifci, quam repungendi cupiditate videri meminiſſe.

Cum ergo meatus cyſticus, ut in viam redeamus, partim a calculis, partim a membranarum fruſtulis iam ſupra memoratis obſtru-

(a) *Tom. 3. editionis Amſtelodamenſis pag. 373.*

ſtructus, toto fere tempore, quo ulcus purgabatur, aditum bili præbere non poſset, id unum relinqui videbatur, ut per mox ante recitata bilifera vaſcula bilis commearet in cyſtim indeque per patulum ulceris & abſceſsus oſtium extrinſecus reſiliret.

Neque enim perſuaderi potuimus illiuſmodi membranulas veſicæ felleæ collo præfixas, tanto temporis intervallo valvularum vicem obiiſse tranſitum bili in cyſtim concedentium, regreſsum vero in ductum choledochum prohibentium: quoniam etſi illæ intra cyſtim protenſæ, & pendulæ baſi tumoris adhæſiſsent, tamen ad eam partem, in quam utpote minus offendiculi præbentem & bilis, & ſanies, & calculi urgebantur & ipſæ membranulæ urgeri debuiſsent, adeoque per eamdem abſceſsus viam extra abdomen propelli. Quod ſi ergo oppoſita ratione per alvum eæ cum fæcibus depulſæ ſunt, ita etiam infixas parietibus internis ductus cyſtici eaſdem fuiſſe dicendum eſt, ut omnino ab introitu in ipſum bilem tandiu arcere debuerint, donec ea vis prævaleret, quæ ſuperatis impedimentis, eas demum disjiceret, atque in inteſtina detruderet.

Sententiæ huic noſtrę firmandæ illud etiam acceſſit, quod quærentibus nobis num ex propaginibus pori bilarii per Jecur diſcurentibus, proxime ad tumorem jam dictum eroſis & recluſis, ſtillare in ipſum bilis & per vulnus exire potuerit, nulla adeſſe major cauſa viſa eſt cur illis propaginibus reſeratis quamplurima etiam vaſa ſanguifera & lymphatica copioſiſſime per hepar repentia ſimul reſerari non debuiſſent, proindeque ſanguinem & lympham bili immiſcere. At ne guttulam quidem cruentam ullo tempore ulceris purgamentis adſperſam notavimus: bilem vero potius ſubrufam & ſpiſſam, quam ex croceo vireſcentem & fluxilem, quemadmodum eſſe ſolet cum a lympha diluitur, nec primis temporibus, ſed circa decimam quartam diem cum ſanie & calculis exire cæpiſſe conſpeximus. Præterea cum tumorem membrana circumvolutum tumorum follicularium more notaverimus, ab immediato cum bile hepatica commercio ſecluſum communicationem tantummodo cum cyſtica habuiſſe eo fidentius nobiſcum conſtituimus, quo magis recluſo ductu cyſtico & alvo ad naturale excernendi officium reverſa, effluxum bilis ab ulcere paulatim deficere & tandem deſinere obſervavimus, brevique poſt tempore curato abſceſſu & vulnere conglutinato, Mulierem convaluiſſe. Qui-

Quibus expoſitis conſilium jam noſtrum in rebus & factis, quæ ad medicum opus referuntur, ſtudioſius examinandis patefecimus, quod pro munere officii quod profitemur non invite probatum iri confidimus.

Cum exarati hactenus ſermones noſtri typis ac prælo commiſſi prodituri eſſent in lucem, ecce miſerum hominem novum argumenti genus obſervationi animadverſionique noſtræ offerentem, quod cum ad rariorum hiſtoriarum cenſum pertinere cognoverimus, appendicis loco ſubnectere & publici juris facere opportunum, noſtrique inſtituti rationi conſentaneum duximus.

Erat miſer ille ex eo hominum genere, qui itinerando & peregrinando ætatem conterunt. Agebat annum ſexageſimum tertium, gracili corpore & temperamento ad bilioſum vergente præditus. Menſe Novembri, vertentis anni, cornu vibratum a bove ictum accepit in inguine, nulla ſequente partium externarum laceratione, contuſione tantum & dolore aliquo remanente. Cum melius habere in dies ſibi videretur, Genova diſcedens per vias & montes nivibus obſitas petiit Lauretanam Domum. Poſt ſeptem dierum iter aſpero quodam ſenſu affectus fuit formicæ in morem a ſcroto ad umbilicum repente. Hic triduo durans in magnum deinde abdominis tumorem converſus eſt, qui a flatibus cum inferne per ſedem, tum ſuperne per os erumpentibus tandem evanuit. Idibus maji apparuit tumor in inguine dextro, magnitudine ovo anſerino fere par; a quo cum vehementius doleret, chirurgum quemdam adiit æger ſolamen & opem quærens. Ex colore rubeſcente ac livido, ſimulque ex materia ad tactum intus fluitante abſceſsum arbitratus, tumorem ſcalpello chirurgus aperuit. Statim a vulnere materia fluida ſumme fætida, coloris ſubobſcuri cum impetu foras erupit. Poſtera die acceſſit febris, lumbricuſque unus albidiuſculus, ſpithamam circiter longus prodivit e vulnere: ſequentibus diebus vermes vigintiſeptem per idem vulnus eiuſdem indolis & naturæ, aliique præterea pauciore numero per vomitum rejecti ſunt. Cum dies quatuor quievisſet, ſibique ſatis recreatus videretur, Bononiam verſus iter ſuſcepit, pedibus conficiendum. Verum non multo poſt magno abdominis dolore, viriumque languore correptus cum fluxu humoris ſubcruenti e vulnere, binorumque vermi-

um

um eruptione humi proſtratus, auxiliumque implorans cum gemitu, a viatoribus prætereuntibus miſeratione motis, jumento imponitur, quo vectus aliquot confecit leucas. Sed iterum jacens inter lamentationes & ſordes nonnullos tranſegit dies. Sumebat aliquid cibi. At alvus clauſa non reddebat fæces. Denique non ſine magno incommodo Bononiam ingreſſus circa nonas junias in pauperum peregrinorum hoſpitium recipitur. Inde in Noſocomium delatus, expoſitis iis, quæ circa tumorem percuſſi inguinis & tumoris inciſionem ipſi accidiſſe ſupra narravimus, regionem inguinis male affecti nobis peſpiciendam & explorandam dedit. Itaque dextro in inguine corpus quoddam productum, teres, rigidum, tumidum atque in parte ſuperiore nonnihil contortum, duos tranſverſos cum dimidio digitos latum, octo longum offendimus, quod in ſui extremitate latiorem papillam ſive glandem æmulabatur a dextris rimula ſive oſtiolo tranſverſim ducto inſtructam. Hujuſce ita contorti corporis ſpecies de inverſa ilei inteſtini portione aliqua ſuſpicionem injecit. Vaſa illud perreptantia valde diſtenta, atroque ſanguine referta cernebantur. Lineolis quibuſdam ſive fibrillis ambiebatur. Digitorum preſſioni aliquantulum obſiſtens ad imam partem dolebat magis, fœtidumque odorem exhalabat. Abdomen manibus contrectari facile poterat. Pulſus erat ſumme debilis ac tardus, extrema corporis frigida, ſudores gelidi, ſupervenit ſingultus cum vomitu materiæ ſœtidæ. Hora noctis ſecunda flaceſſens tumor ſupra femur dextrum relabi viſus eſt. Hora vero quarta ejuſem noctis æger exceſit e vita.

De cognoſcenda morbi ſede ac qualitate ſolliciti ad cadaveris ſectionem una cum doctiſſimis medicis, anatomiciſque non paucis convenimus, quam in re medica & anatomica verſatiſſimus vir Petrus Tabarranni inſtituit. Diſſectis & revulſis communibus abdominis integumentis relictiſque in proprio ſitu muſculis oblique deſcendentibus ſub arcu, quem ligamentum Falopii, ſeu Popartii appellant inter poſteriorem, ſive inferiorem ex binis tendinoſis columnis (a) quibus eformatur annulus pro tranſitu vaſorum ſpermaticorum & vaſa cruralia dextri lateris ſupra deſcriptum corpus foras protruſum clare diſtincteque conſpeximus. Quod,

D aper-

(a) *Gallice Piliers.*

aperto dein abdomine productionem & partem Ilei inteſtini lacerati ab eo quaſi penitus divulſam fuiſſe obſervavimus. Inteſtinum ileum cum cæteris tenuibus inteſtinis inflammatum & quaſi gangræna affectum, duarum fere ſpithamarum longitudine ab inteſtino colo vulneratum apparuit & portio illa, quæ ipſum reſpiciebat colon, octo circiter digitorum tranſverſorum menſura per vulnus abdominis foras eruperat. Nullum neque exterius circa vulnus neque interius nempe in abdomine tumoris indicium reluxit; manifeſtabatur inteſtini laceratio præciſe ſub ligamento Falopii ſuperiore in parte; interius vero ad contactum partis ſuperioris Femoris reperiebatur portio ejuſdem inteſtini integra & incorrupta qua cum una protrahebatur pars peritonæi parumper extra abdomen extruſa. Ab eodem ileo dum manibus contrectabatur, proſiluit lumbricus ejuſdem ac ſupradeſcripti indolis & naturæ. Materiam etiam ſeroſam ſubrubri coloris, qualem ab inverſi inteſtini vulnere excerni vidimus, dimidiæ circiter libræ pondere in infimo ventre ſtagnantem invenimus. Copiam vero non exiguam humoris illius fœtidi & ſubobſcuri, qui, narante ægro, ab inciſo tumore effluxit, intra ileum inteſtinum concluſam deprehendimus.

Ad eliciendam ſpeciem & ideam hujuſce morbi facem nobis prætulit non tam prominens in inguine tumor & qui præfuit immanis dolor & alvus adſtricta & vomitus materiæ fætidæ & fæculentæ, quam corporis extra inguen protruſi continuatio cum inteſtino ileo ejuſque inceſſus inter dictam tendinoſam columnam & vaſa cruralia juxta oſsis iſchii articulationem cum femore, ex quo tamquam ſpecialiore ſigno miſerum hunc hominem hernia crurali laboraſſe perſpeximus; quam & infrequentius in hominibus accidere, & non adeo difficillimæ curationis, ac periculi plenam eſſe experientia teſtis eſt.

Interea nos haud parum ſuſpenſos habuit illa dubitatio; num ſcilicet a vermibus haud parum eroſam & perforatam fuiſſe jam dictam ilei partem fateremur. Cui quidem dubitationi viam ſternere videbantur vermes ipſi, utpote copioſe ab inteſtini vulnere ejecti & ex illorum genere, qui in tenuibus inteſtinis hoſpitari conſueverunt: unde ſuſpicari non immerito licebat, eoſdem intra herniam diu reconditos manſiſſe, tandemque putribus ſuis ſuccis & morſibus inteſtini tunicas laxando & admorden-

dendo observatum in eo vulnus, si minus in totum, at magna tamen ex parte intulisse.

Opinioni huic momentum & pondus afferebat auctoritas Boerauvii (a) Scribentis, quod *illi sugendo, movendo, vellicando, rodendo, terebrando, chylum consumendo, nervos irritant, solida vulnerant, nauseas, horrores, cardialgias, vomitus, animi deliquia, maciem, famem caninam, tumorem abdominis & talia producunt maxime flatus, subitosque tumores creant*; favere etiam huic sententiæ videbamus Teophilum Bonetum (b) asserentem a Lunbricis intestinum colon in virgine quadam perforatum se vidisse: Et (c) de abscessu in inguine ab hernia suppurata cum erosione intestini ilei, purisque & excrementorum fœtidissimorum rejectione verba facientem.

Sed ne aliorum recensendis observationibus immoremur, illius meminisse sufficiat, quam in bononiensi nosocomio Sanctæ Mariæ de Vita, coram solertissimis, peritissimisque rerum medicarum & anatomicarum professoribus quondam habitam fuisse accepimus in defuncti cujusdam hominis cadavere, in quo intestinum ileum instar cribi pertusum a vermibus ita depræhensum fuit, ut illius foramina diametrum pennæ gallinaceæ recipiendæ parem ostenderent.

Quod si abscessum præ manibus se habere arbitratus scalpello herniam chirurgus aperuit, veniam tamen illi humaniter dandam esse aperte hortabatur nimia patrandi erroris facilitas in hac re, in qua chirurgos etiam exercitatos & celebres nonnunquam hallucinatos fuisse constat. Testatur enim Joannes Astrucius, (d) Bubones venereos cum enterocle interdum confundi; docetque Laurentius Heisterus; (e) herniam cruralem inguinali minorem & rotundiorem esse, adeoque facilius cum bubonibus confundi posse: Merius vero (f) aliquando, se deceptum fuisse ingenue fatetur his verbis: *J' examinài la tumeur & tro-*

(a) *In medicis Institutionibus pag.* 204. *num.* 792. *ubi de Intestinorum vermibus loquitur*. (b) *In Sepulcreto Anatomico T.* 2. *obs.* 12. *pag.* 219. (c) *Tom.* 3. *Sec.* 30. *observ.* 3. (d) *Lib.* 3. *de Morbis Venereis Cap.* 5. *pag.* 225. (e) *In Institutionibu: Chirurgicis part.* 2. *Sect. V. Cap.* 118. (f) *In Historia Regiæ Sientiarum, Academiæ Anni* 1701 *Observations sur les Hernie* 2. *obs.*

& trouai une fluctuation dans toutes les parties, ce qui me fit voire d' abord que c' etoit un Abces ordinaire, & non pas un poulin, & revera de hernia inguinali ipſum loqui, ex eadem hiſtoria & curatione ſatis liquet. Verum ne rebus dubiis perſequendis moroſius hærere videamur, aliorum iudicijs eas relinquentes, ad inverſionem ilei inteſtini noſtram breviter animadverſionem convertimus cuius cauſam ab hernia, multoque magis a vulnere repetendam eſſe arbitrabamur, nam cum pars inteſtini ilei, quæ reſpiciebat colon a reliquo inteſtino tunc temporis trahi non poſſet ob implicationem jam factam cum peritonæo, herniæ ſaculo, tumoreque in inguine & more inteſtinorum tenuvium motum peryſtalticum, fortaſſe ob vulnus inverſum exerceret; hæc inquam pars ubi minorem inveniebat reſſiſtentiam eo pellenda erat, unde accedentibus incommodis itineris longioris ad eam quam diximus octo digitorum tranſverſorum menſuram foras ex abdomine producta eſt.

Quod ſi ennaratis incommodis addatur auxiliorum medicorum, chirurgicorumque inopia, facile intelligitur cur dicti inteſtini vulnus eo tempore ita increverit, ut ejuſdem inteſtini ilei unitas quaſi penitus ſoluta fuerit.

Partem inteſtini ilei intra colon, partemque intra ipſum ileum (ſecluſo etiam tumore inguinis) in mortuis ex iliaco affectu interdum vidimus, videruntque multo antea Peyerus, ut in ſuo de glandulis tractatu legitur: Sylvius. (a) Lazarus Riverius. (b) Rene Jacques Croiſſant de Garengeot, (c) aliique: at ilei inverſionem tantam extra abdomen porrectam, quantam in noſtro caſu numquam me vidiſſe, aut in aliorum ſcriptis legiſſe memini. Propterea prima fronte circa eamdem ancipites fuimus, incerti nimirum an relaxato peritonæo, an vermiformi appendiculæ inflatæ & extanti, an tumori alicui noviſſime orto corpus illud in inguine prominens adſcriberemus. Nam quo minus de inteſtino aliquo e ſua ſede pulſo judicaremus, prima facie obſtare videbatur illa obſervatio, qua conſtat inteſtina dum ob vulnera, vel alia de cauſa herniam efficiunt, fere ſemper

(a) *In Praxi medica lib. 1. Cap. XV.* (b) *Centuria tertia obſ. 26.* (c) *Traitè des operations de Chirurgie Tom. premier a Paris an. 1731. ubi de Herniis pag. 382.*

per duplicia & ſub forma arcus manifeſtari, figuramque & colorem aliter ac in morboſa iſta affectione prodebatur, exhibere. Verumtamen ubi omnia ejus antecedentia & adjuncta attentius ſcrutati fuimus, judicium de ilei inverſione abſolute ferre non dubitavimus; cum præſertim ſigna & ſimptomata, quæ illiacum affectum comitari ſolent, explorata & comperta habuerimus.

Hic obiter notare licebit, apendiculam vermiformem præter morem in hoc ſubjecto longitudinem unius ſpithamæ præſetuliſſe & ſupra peritoneum, cui uniebatur, curſum inteſtini colon recta ſequutam fuiſſe ſenſimque coarctatam tandem in acumen deſiiſſe.

Cum autem ſigna mox dicta certam & imminentem miſeri ægrotantis mortem portenderent, idcirco a conclamatæ ægritudinis curatione per fortiora chirurgiæ præſidia ineunda abſtinendum eſſe monuerunt. Eam vero quibus in caſibus, quando & qua ratione aggredi prudenter liceat præcipere & explicare non eſt hujus loci, cui fines dicendi præſtituti ſunt, extra quos evagari non lubet: Quare a chirurgiæ magiſtris ſtudioſos & alumnos artis chirurgicæ ea petere oportebit, quæ ad hunc locum pertinere videbuntur. Atque inter cetera notitiam ſignorum inter bubonem & herniam diſcrimen ponentium acuratius quærere, de quibus Joannem Aſtrucium in ſupra memorato libro diſerte loquutum fuiſſe reperient.

FIGURARUM EXPLICATIO

Figura Prima.

A A Musculus oblique externus sive descendens abdominis in parte dextera.
a a Annulus ejusdem musculi.
B B Intestini ilei inversi & foras elapsi effigies.
b b Segmentum arcus sive ligamenti Falopii sub quo intestinum ileon inversum eruperat.
C C Vena & Arteria cruralis.
c c Os pubis quod decussatim superscandunt fibrillæ externorum oblique descendentium musculorum abdominis.
D Umbilicus.
d Annulus musculi obliqui externi lævi lateris.
e e e e Vasa Spermatica cum appensis testiculis.
F Femur dextrum.
G Femur sinistrum.
H Integumenta communia aliquatum reclinata.

Figura Secunda.

A A Pars intestini coli.
B Intestinum cæcum.
b b Appendicula vermiformis longius protensa & in acumen desinens.
C C Intestinum ileon.
D D Tractus intestini ilei inversi & foras educti.
d d Rima sive hiatus in eo transversim ductus.
E Continuitas intestini ilei quasi penitus soluta.

Vidit D. Paulus Philippus Premuli Clericus Regularis Sancti Pauli & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Prospero Laurentio Cardinali Lambertini Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 20. Junii 1740.

Ad Excellentissimum D. D. Joannem Mariam Santini, ut videat & referat pro Sancto Officio.

F. Bonaventura Maria Grossi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

Die 22. Junii 1740.

Jussus recognoscere librum cujus titulus est. De raris quibusdam Hepatis aliorumque Viscerum affectibus Observationes *Auctore Præclarissimo Viro Cajetano Tacconi, illum non solum attente legi, sed cum delectatione iterum legi, Ghirurgicam non tantum observationem, sed & Anatomicam, ac Chimicam amplectentem; Cumque nihil aliud offenderim, nisi quod literatum hominem decet bene moratum, censeo pro mea parte, ut imprimi possit, vulgarique dummodo ne secus Reverendissimo Patri videatur ad cujus voluntatem me omnino conformo.*

Joannes Maria Santini Philosophiæ, & Medicinæ Professor, & Sanctissimæ Inquisitionis Revisor.

Die 22. Junii 1740.

Stante suprascripta attestatione

Imprimatur

F. Bomaventura Maria Grossi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

Fig. II

A
A
B
b
b
D
d d
C
D
E
C

Fig. I

H
A
D
H
H
B
A
b
B
a
b
e
d
c
e
C
C
c c
a
H
H
E
e
H
F
G

Carlo Pisarri deli: e Inci:

La gran disputa tra li filosofi ne giorni nostri circa la formazione delle Voglie così dette, consiste nella causa, e modo di saper spiegare chiaram.te come l'Imaginazione, o sia desiderio della donna gravida possa imprimere la forma delle cose da lei imaginate, e desiderate che è nell'utero nel feto. Ma perchè il Testo addotto della divina Scrittura pare favorevole alla ~~nostra~~ loro sentenza delli immaginisti, questo pure dal Sig.r Bonodello viene commentato ~~a suo~~ da lui a suo favore;

Ma prima di rispondere alle ragioni che esso adduce, è cosa da considerarsi molti essere gli effetti veri e sensibili, che si ritragono da certi Corpi ~~e non si sa come la Causa~~ ignorandosi il modo, come ex. g. nella China China, nell' Oppio, e in tanti altri Medicamenti; e pure dall'esperienza fine ottimo che se ne ritrae, ottimi si dicono e di fatti lo sono. Così dovrà dirsi della imaginazione nelle Donne Gravide, quall'volta, come s'è dimostrato, chiaram.te si sappia, che ~~qualche volt~~ frequentem.te ciò addivenga:

// la China cioè per fermare le febbri Intermittenti; L'Oppio per indurre sonno, sopore, e quiete: